

Σὺν Θεῷ

*Examen breve Theologicum*

**Antiquitatis & Primatus**

*ROMANÆ ECCLESIAE,*

DE

**PRIMATU PETRI**

**ET SUCCESSIONE**

*Romanorum Pontificum,*

Quod

*Benignâ favente Facultate Theologicâ publ. extraor-  
dinaria Diffut. Loco.*

SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi  
VIRI, DOMINI*

**HIERONYMI KRONMEYERI,**

*S. Theolog. Doctoris Celeberrimi, P. P. & Canonici Zizensis,  
Præceptoris & Promotoris sui dignissimi Patronique  
honoratissimi.*

*proponit Autor & Respondens*

**JOANNES FUNCKIUS, Durst. VVestph.**

*quondam.*

*in districtu Essendiensi pontificius secularis Parochus, nunc  
verò per D. G. Aug. Confess & sacrosanctæ purioris  
Theologiae Studiosus.*

*Hab. die Nov. 30. in auditorio Paulino.*

LIPSIÆ,

*Ex Officinâ BAUCHIANA, M. DC. LIX.*

Coll. diss. A  
65, 60

*a. L. W. 60.*

SERENISSIMO, CELSISSIMO, POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

JOHANNI GEORGIO, II.  
Saxonia, Julia, Clivia & Montium Duci, Sacri  
Romani Imperii Archimareschallo & Electori, Land-  
gravio Thuringia, Marchioni Misnia & utriusq; Lu-  
satie, Burgravio Magdeburgensi, Comite de  
Marck & Ravensburg, Domino in  
Ravenstein &c.

Principi ac Domino meo Clementissimo.



Qvod ad Mentem B. Joannis Apostoli san-  
ctus Augustinus de sui temporis Hæreti-  
cis olim conquestus contestatusq; est; Id  
ipsum de hodiernis pontificiis apertissimum cuique  
facile est assertu: Illi nos Anti-christos vocant, & dicunt  
quod exiverimus ab illis, si autem responderis illis, quare verba  
Christi dicis, non verba tua, conantur quantum possunt, ut te  
convincant, verba tua dicere, non verba Christi; si autem mani-  
festum fuerit, quare verba Christi dicis, eunt & in Christum, in-  
cipiunt & reprehendere Christum. Et hinc nefarios ritus suis  
hominibus magicarum artium Doctrinam commendant, insusur-  
rant auribus peritorum per colloquia perditorum. Hæc ver-  
ba S. Augustini sunt Tract. 3. in Epist. Cathol. B. Jo-  
ann. & Tract. 92. sup. Evang. ejusdem; Et bis cæ-  
verbis veterum Hæreticorum naturam perfidiam-  
que depinxit. Et nostræ esse possunt, quibus ipsos  
Pontificios describimus, plerumq; verò quando eos-  
dem suam fictam antiquitate, fictoq; primatu gloriosos  
superbosq; nobis obviantes observamus. Ipsi enim  
(quis



(quis dicet?) quā antiquitatis memoriā vexati,  
quog, primatus delirio illusi Petri visibile & infal-  
libile post Christum Ecclesia caput constitutum;  
ejusq, Petri successorem Romanum Pontificem as-  
serere audeant; & hac falsissimā antiquitatis &  
primatus umbrā ita ipsum vera agnitionis lumen  
obscuratur, ipsaq, detegitur Lutherano - Evange-  
lica Veritas, ut Ecclesia Romana, licet turpissimis  
gravissimisque corrupta sit erroribus, unica tamen  
vera, infallibilis & perpetua, Lutherana verò,  
quæ vera est, apostatica ab omnibus Pontificiis ha-  
beatur.

SERENISSIME, CELSISSIME, POTEN-  
TISSIMEq, PRINCEPS ELECTOR, DOMINE  
CLEMENTISSIME, &c. Sub hac ficta antiquita-  
tis primatusq, umbra in Papatu ego quandoque  
ipsam Veritatem evangelicam minùs cognovi, per  
D.G. verò remotā hac umbrā; rectiùs noscere, &  
per Papæ tyrannidem, carcerem & vincula, ad ipsā  
Veritatem transvolare cepi, quam & nunc, licet in  
exilio, in summa tamen Conscientia quiete & volu-  
ptate à Biennio agnosco, & agnoscens exiguum, fi-  
delem tamen Animi conatum constantiq, testimo-  
niū hoc edere volui. Quod nō tā meā audaciā, quā  
SERENISSIMI, CELSISSIMI, POTENTISSIMIq, PRINCIPIS  
ELECTORIS &c, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI in ōnes  
clementiā invitatus sub CELSISSIMO, POTENTISSI-  
MOq, NOMINE edere ausus fui. Siquidē totq, Juvenis

Li-


Literarum amore incensus in exilio meo studiis  
meis sedē, Exulq; Patronum Clementissimū inqui-  
ro; circumspicio, suspiro! En gratisima & per Or-  
bē terrarum DOMUS SAXONICÆ præclara diffusa  
fama, ipsā SERENISSIMI, CELSISSIMI, POTENTISSIMIq;  
PRINCIPIS ELECTORIS, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI  
innatā in omnes exulantes CLEMENTIAM se ad me  
inclinaturā, persuasit, EJUSQVE in omnes literarū  
studiosos BENEFICENTIA, hunc exiguum conatum  
CELSISSIMO POTENTISSIMOQVE NOMINI ut primū  
debericertius affirmavit. Offero itaq; O PRIN-  
CEPS POTENTISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME non  
opus tanto NOMINE dignum; sed conatum juveni-  
lem, fervorem in studiis & in agnoscenda veritate  
inextingvibilem! offero, non quod suscipiendū, sed  
summa innata suscipiet CLEMENTIA! offero preces  
meas quotidianas pro SERENISSIMO, CELSISSIMO,  
POTENTISSIMOq; PRINCIPE ELECTORE totaq; DOMO  
SAXONICA & felix anni AUSPICIA omnemq; fe-  
licitatem precor. Dabam è museo meo Lipsiæ  
Anno 1659. 30. 9bris.

SERENISS. CELSISS. POTENTISS. PRINCIPI  
ELECTORI,

Domino meo clementissimo,

Humill. & subjectiss.

Joannes Funckius.


 Riturum Theologus est axioma: Ecclesia illa vera est, qua antiquior est in doctrina sua. Hoc malè intelligunt, aut saltem intelligentes turpissimè eo abutuntur hodierni Romanenses; quãdo ipsos Antiquitatis & Primatus clamore univèrsam Christianorum orbem replere, & hunc Primatum atq; Ecclesia sua antiquitatem non ab immutata Doctrina Veritate; sed à Primatu Petri & locali successione suorum Pontificũ ementiri audimus. Petrum à Christo infallibile Ecclesia sua Caput fabulantur electum & Pontificem Romanũ afferunt, qui post obitum Pontificatus sui munus Rome alligãrit, quod tanquam hereditarium ad suos deferri pontifices, eosdemq; in illud succedere obganniunt. Ex qua successione, nescio! quã non infallibilitatẽ, præcellentiam & auctoritatem suorum pontificum, utpote Ecclesiam Christi tanquã visibile & infallibile Caput unicè regendi, in controversiis decernendi, & sacras Scripturas (quasi) incompletas variis suis traditionibus complendi, reliquamq; jurisdictionem extorquent; in quibus omnibus Ecclesia sua primatum quarunt, & hac successione quasi infallibilitatis & antiquitatis sigillo ipsam Romam consignatam esse undiq; gloriantur. Pro cuius affir-

A matione

matione unius sufficit Becanus in Manuali suo controvers. L. i.  
in initio pag. 1. quæ est uti compendium operis. Nobis, qui  
talia Ecclesiæ Christi prædicamenta negamus, id  
est nec caput visibile, nec primatum, nec successio-  
nem tanquam notam Ecclesiæ, nec cætera, quæ ad  
Romanæ Ecclesiæ gloriam spectant, agnoscimus,  
Examen illius antiquitatis & primatus brevibus  
& brevissimis instituere placet, videbimus anti-  
quitatem Judæorum, quam undiq; superbi in sede  
Mosis sedentes iactitabant; & tamen veram repu-  
diarunt doctrinam Christumq; condemnarunt. Ad  
quod deo in clementissima opitulatrix adfit Trias,

## DISQVISITIO PRIMA.

De

### Primatu Petri & Successione Romanorum Pontificum.

#### MEMBRUM PRIMUM.

De

#### PRIMATU PETRI.

Thes. I.

**B**ASIS & fundamentum, quo Romanensium illa gloria de  
antiquitate & primatu Ecclesiæ suæ nititur, ut dictum, est c-  
menticius primatus & pontificatus Petri, quem à Christo  
Ecclesiæ caput visibile electum eidemq; post mortem Christi Ec-  
clesi-

clesi.

eclesiam gubernandi Vicariatum eum infallibilitate conjunctum  
ex divina ordinatione traditum asseverant: & hanc assertionem  
suam edictis nonnullis sacrae Scripturae Locis colerare la-  
borant; utpote illis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram  
aedificabo Ecclesiam meam, & portae infernales non prevalebunt ad-  
versus eam. Item: tibi trado claves regni Caelorum, quidquid liga-  
veris super terram, erit ligatum & in caelis, & quidquid solveris su-  
per terram, erit solutum in caelis: & Joann. 21. Pasce oves meas &c.*

### *Thes. 2.*

Hae Scripturae loca pro defensione Primatus Petri à  
quolibet pontificio effutiantur: ubi duplex error committitur.  
*Primus* in malè torquendo & falsam significationem ex illis di-  
ctis eliciendo; *Alter*, in apertè & directè opponendo Scripturae;  
quae nullum Ecclesiae Fundamentum & Caput præter Christum  
agnoscit. Uterq; error nobis in examine nostro perrecturis mani-  
festus erit.

### *Thes. 3.*

In disquisitione allegatorum sacrae Scripturae Loco-  
rum, quae multum pro Petro summo Pontifice facere debent,  
non circumvagari necesse est; sed sanctum Augustinum fideliem  
interpretem audiemus, qui super illa loca in variis serm. &  
Tract. commentatus est, & abundanter edocet, quis ex illis Petri  
Pontificatus, seu Primatus extorqueatur.

### *Thes. 4.*

Locus primus est: *Tu es Petrus, & super hanc Petram  
aedificabo Ecclesiam meam.* super hunc locum commentatur serm.  
13. de verbis Domini secundum Matth. & inquit: *Et ego tibi dico:  
tanquam ei diceret; quare tu mihi dixisti, tu es Christus Filius Dei  
vivi, & ego dico tibi, tu es Petrus. Simon quippe ante vocabatur:  
hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur à Domino impositum est.  
Et hoc, ut in figura significaret Ecclesiam. Quare enim Christus Pe-  
tra; Petrus populus christianus. Petra enim nomen principale est: ideo  
Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Christiano Chri-  
stus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus,*  
A 2 & su.

*Et supra hanc Petram, quam cognovisti dicens, tu es Christus Filius Dei vivi, edificabo Ecclesiam meam. Super me edificabo te, non me super te.*

### *Thes. 5.*

Locus secundus est: *Tibi trado claves Regni Cælorum, quidquid ligaveris super terram, erit ligatum in cælis, quidquid solveris super terram erit solutum in cælis.* Hunc idem explicat S. Augustin. Tract. 14 sup Joann. dicens: *Quando ei dictum est: Tibi trado claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum & in Cælis; quodcumque solveris in terra, erit solutum & in Cælis, universam significat Ecclesiam.*

### *Thes. 6.*

Locus secundus: *Pasce Oves meas.* ad eum dicit serm. 149. de temp. Dominus respondenti amorem commendat Agnos suos & dicit: *Pasce Oves meas.* quasi diceret, quid retribues? quare diligis me? dilectionem ostende Ovibus meis! si dilectionem erga me habes, ubi ostendas, habes: ubi excerceas, habes.

### *Thes. 7.*

Hæc S. August. ad loca Adversariorum mens, responsio & explicatio, quæ nec incongrua, & bene perpensa, seu observata in variam cognitionem nos adducet, variaque proponet: Quia August. totam Ecclesiæ structuram hinc exhibet. PRIMÒ, proponit *QUALITATEM FUNDAMENTI*, seu Lapidis angularis à facta Petri Confessione, dicendo: *super hanc Petram quam confessus es Filium Dei vivi edificabo Ecclesiam meam: & tibi trado claves Regni Cælorum &c.* ubi longioribus id explicat in serm. 40. de temp. in quo Christum tripliciter considerat: primò tanquam Deum. secundò tanquam Deum & hominem. tertio, quatenus totus in plenitudine Ecclesiæ; *Ubi Caput & Corpus est,* inquit S. August., *secundum plenitudinem Viri, in quo Viro singuli Membra sumus.* Et præter hunc Lapidem angularem, seu unicum hoc Fundamentum & Caput Ecclesiæ aliud non agnoscit, quod disertis probat in citato 13. serm. de verb. Domini subjiciens: *Nã volentes homines edificare super homines dicebant: Ego quidem sum*  
Pau.



Pauli, ego Apollo; & Apostolus Paulus ubi cognovit se eligi, divisus est,  
 inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in  
 Nomine Pauli baptizati estis? Quomodo nec in Paulo, sic nec in Pe-  
 tro, sed in Christi Nomine: ut edificetur Petrus supra Petram. Item  
 tract. 124 sup. Joann. Petra in qua edificatur Ecclesia, est Christus;  
 super quod Fundamentum etiam edificatus est Petrus. Fundamentū  
 quippe aliud nullus ponere potest, nisi quod positum est, Christus. Itē  
 serm. de Temp. 40. describens universalem Ecclesiam subjungit:  
 Est utiq; Caput cujus hoc sit corpus, & ipse (inquit) Caput Corporis  
 Ecclesiae Primogenitus, ipse primatū tenens; & quare, quod semper  
 caput omnis primatus & principatus sit. SECUNDO, describit  
**MENBRORUM QUALITATEM**, ex quibus hoc corpus Ecclesiae  
 constituitur, eandemque desumit à Petro confitente. Ipse enim  
 erat, qui Christum, ut filium Dei vivi agnovit, id est, in ea fide  
 persistit, quae in iis requiritur, qui vera Christi ejusque Ecclesiae  
 membra dici volunt, & hinc Christus ad eum dixit: Tu es Petrus,  
 ad mentem August. verus Confessor, verè in animo dispositus  
 & constans. Tu es Petrus Typus Ecclesiae. Tu es Petrus, Po-  
 pulus Christianus in typo. Ubi in Petri persona notamus (1.)  
 quod Ecclesiam suam Christus ex verè confitentibus constitui  
 velit, & hoc in Petro tanquam primo confitente insinuat. (2.)  
 quod membra Ecclesiae (intelligendo solos fideles) sint duplicia.  
 Alia fidem suscipientia, & tales sunt omnes fideles Christiani cum  
 Petro Christum verè profitentes. De quibus inspicatur idem  
 August. serm. 40. de tempore, & vocantur à Christo Oves ejus Jo-  
 ann. 10. Alia sunt membra docentia, quales ij, qui non solum sim-  
 pliciter & rectè credunt, sed & simplices imbuunt, ignorantes in-  
 formant & coecos adducunt, & vocantur Pastores Ovium loco  
 citato. Horum utrorumque secundum August. Simon Barjô-  
 na typus fuit, & inde dictus est Petrus, id est constans & firmus.  
 Et quod in Petro tanquam in typo ut in una persona inchoatum  
 est, in omnibus posteris membris impletum & perfectum est: si-  
 quidē in ipso uno tota spectata est Ecclesia, non respectu funda-  
 tionis sed confessionis, non principatus, sed ad omnes figuratae  
 vocationis. Nam eo confitente totam fuisse confessam Eccle-  
 siam,

nam, eo suscipiente claves, omnes Sacerdotes, qui in Ecclesia Christi aut fuerunt, aut sunt, aut futuri sunt, suscepisse, in confesso & in confesso est ad mentem August. quia in unitate est Ecclesia, unitas in uno Petro significata est, quatenus id ipsum in varijs Locis attestatur, ut pote citato serm. 13. de Verb. Domini: *In Christi amore promptissimus saepe unus, inquit, respondit pro omnibus, unus pro multis dedit responsum, unitas in multis.* Item Tract. 124. sup. Joann. *Ecclesia ergo, quae fundatur in Christo, Claves ab eo regni Caelorum accepit in Petro, id est, potestatem solvendi ligandiq, peccata.* Item serm. 24. de Sanctis, qui est, I. de Petro: *In Petro figurata hic est unitas omnium Pastorum.* Item Tract. 47. sup. Joann. *Ideo Petro, quem facere volebat bonum Pastorem, non ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre amas me, pasce Oves meas.* Item Tract. 50. sup. Joann. argumentatur hisce verbis: *Si Petrus non esset Ecclesie Sacramentum, non ei Dominus diceret: tibi trado claves regni Caelorum! si hoc Petro tantum dictum est, non facit Ecclesia, si autem in Ecclesia sit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam sanctificavit, (id est figuravit, uti in alijs locis) & in ejus persona boni Pastores significati sunt. Id est, quotquot fuerunt, sunt ac futuri sunt, potestatem suam in potentia acceperunt, (3.) Ex illis jam dictis & petri persona notamus pastorum qualificationem, quae patet ex iis: Petre amas me &c. supra quae commentatur August. & subjungit: Hisce commendatis ovibus narrat de passione sua, ubi demonstrat oves sit diligendas ab ab iis, quibus eas commendat, ut parati sint mori pro iis, secundum illud, 1. Joann. 5. Sicut posuit pro nobis Christus animam suam. ita & nos debemus pro fratribus nostris animas nostras ponere. Quod applicatur de Petro spondente amorem suum, & in eo qualificatio omnium Pastorum insinuata fuit, pro ut August. serm. 165 de temp. loquitur: *hac invenio omnes bonos Pastores, in uno sunt multi, qui diversi; hic unus predicatur, neq, enim modo tacentur Pastores & dicitur Pastor. Quare Petrum invenit, imò & in ipso Petro unitatem commendavit; multi erant apostoli, & uni dicitur, in eo uno omnes comprehendendo, quasi omnibus dictum sit.**

Thes. 8.

### *Thes. 8.*

Positis hiscè omnibus dicimus ex **Mente S. Augustini** (1.) Petrum fuisse primum ordine Confessionis, non verò dignitate, aut Potestate, quia in sequendo Dominum & profitendo primus & promptissimus fuit (2.) quidquid in eo, vel respectu Vocationis, Adoptionis, vel concessæ Potestatis peractum est, in eo tanquam integram Ecclesiam dictas ob rationes promptitudinis præsentâdo, quæ Ecclesia talis, quo ad Confessionem & Potestatem cum ipso Petro futura erat, peractum est. Ex quo ea, quam somniant pontificij, Eminentia neque elici, neque extorqueri potest. Quia omnes æque ac ipse Apostoli erant, nec eis in ullo præcelluit, quod apertissimis declarat idem August. serm. 27. de Sanctis, qui est 3. de Petro & paulo: *Ambo, inquit, claves à Domino perceperunt, & verum qui inter ipsos præferendus sit, incertum est.* Quod quoque elucet ex eo: quando teste Lucâ in act. Apostolorum Matthias elegendus, Diaconi proponendi & Consilia danda Conciliaque conscribenda fuerint, non ad Petrum ut Episcopum Episcoporum (qualis unicus est Christus, & hinc Petrus hunc sibi titulum attribuere nec ausus, nec optavit) fit accursus, ejusque auctoritas in omnibus inchoandis & perficiendis præsupponitur; sine qua nec quicquam inchoare, aut perficere licuisset, si talem primatum obtinuisset, & ipsi tanquam capiti præfidere, omnes Ecclesias regere, pro nutu (ut nunc babylonicus facit Antichristus) Romæ residenti omnia disponere, proponere & abrogare obvenisset; At nunquam id factum est, & una omnium valuit auctoritas, consilium & votum. Ergo Petrum tale caput nunquam fuisse, talemque à Domino obtinuisse primatum, qualè hodie dum somniant Romanenses, rectè concludimus; aut probent ex Spiritus S. testimonio contrarium.

### *Thes. 9.*

*Instabunt primò,* Christus postquam discessit ex hoc mundo, nec nobis suâ visibili præsentia amplius præest, visibile caput aliquod constituere debuit ad exemplum veteris Testamenti, seu alicujus Regis in regimine politico; ubi Deus se ipsam sum-

mus

mus & invisibilis Rex suum populum gubernaturum ducturumque  
promisit *Judic. 8.* sed tamen semper Caput aliquot visibile præter  
se constituit. *Respondetur.* dispar est ratio disparque finis: si enim Pe-  
trus aut hodiernus papa, ut caput in universali Ecclesia præside-  
at, vel præsidet tanquam spirituale, quale esse non potest propter  
defectum finalem præsidentiae, de quo mox, quod tale est Chri-  
stus, ut ex dictis satis liquet; vel præsidet tanquam politicum,  
quale quoque negatur, cum tale sint ex divina ordinatione, Re-  
ges & Principes &c. **SECUNDO** finalis quoque patet præsiden-  
tiae disparitas. Rex in hoc mundo tanquam Caput Regni sui mi-  
nisteriale præsidet ad virtutes per varias actiones exercendas, &  
hoc fit partim exemplo amplectendo scilicet & observando Virtu-  
tum Regulam, partim etiam per justitiæ gladium compellendo,  
quod naturæ humanæ nec impossibile, nec contrarium est. Sic  
quoque Caput Ecclesie in Regno spirituali *divines* propriam me-  
bra sua ad efficaciam fidei disponere debet, quod patet ex trito  
illo: Apollo plantat, Paulus rigat, Deus dat incrementum. Et  
hoc solius est Dei viribus humanis verò contrarium & impossi-  
bile. Quod nè quisquam de retro facile affirmabit, & de Roma-  
nis pontificibus dici poterit.

### *Thes. 10.*

*Instabunt secundo* ex prædictis: Deus qui ita Regit & men-  
bra disponit, facit hoc mediatè per instrumenta, quales sunt Do-  
ctores: & horum omnium est Caput Petrus & hodiernus Roma-  
nus papa. *Respond.* Christus Rectores in Ecclesia posuit & Do-  
ctores, per quos Ecclesiam regat unde dicitur, alios constituit  
prophetas, alios Apostolos alios Doctores &c. alijs alia dona de-  
dit &c. At de primatu Petri, vel præcellentia Romani Episcopi  
nusquam legitur, nisi in falsa donatione Constantini Magni; cum  
Christus unâ voce, unoque afflatu dederit spiritum sanctum &  
potestatem Ecclesiasticam.

### *Thes. 11.*

*Instabunt tertio* fuit tale caput in V. T. Ecclesia, cujus tamen  
spirituale fuit & Christus, quatenus id insinuat sanctus Augulli-  
nus,

mus, ubi serm. 40. de tempore Ecclesiam describit ab Abele ju-  
sto usque in finem seculi & dicit: *Totum unum corpus Christi est,*  
*in quo corpore Ecclesia caput fuit Unigenitus; & quò minus tunc*  
*non obstitit præter hoc caput invisibile constitui caput visibile,*  
*quod fuit summus Pontifex, eo minus nunc quicquam obstaret.*  
*Respond. obstat multum. PRIMÒ in eo, quia hæc ab Abele justo*  
*est Ecclesia invisibilis, seu fidelium, nec ministerialis in qua non*  
*fuit Caput summus Pontifex. SECUNDÒ Ecclesia Judæorum*  
*fuit figuralis respectu ministerij & Pontificis, & ita Pontifex non*  
*fuit Caput, sed figura ad Christum. TERTIÒ hanc figuram*  
*complevit Christus ad ritum summi Pontificis intrans in sancta*  
*sanctorum, qui hodiernus est summus Pontifex, seu sacerdos in*  
*æternum secundum ordinem Melchisedech. Facit ergo nec hæc*  
*quicquam instantia, & nullus probabilis est primatus Petri.*

## MENBRUM SECUNDUM.

*De*

# Successione Romanorum Pontificum.

*Thes. 12.*

*EXAMINATA* hæc Pontificiorum assertione de primatu Pe-  
tri (quò ipsa undiquaque fasta superbit Roma) quam assertio-  
nem nos brevius examinatam omnimodam falsitatem ex obli-  
qua sacræ Scripturæ interpretatione detortam monstravimus,  
altera superekt, & cum hac prima conjuncta de Successione suo-  
rum Pontificum. Quando à Petro juris potestatisque ei falso  
adscriptæ hæredes sese per localem successionem factos esse  
ementiuntur; & hiscè duabus assertionibus, ut firmissimis eolu-  
mnis tota Religionis Pontificiæ gloria nititur; quam alteram ne-  
gato primo fundamento de primatu Petri, longioribus diluere  
superfluum est; eam tamen brevissimè examinabimus.

*B*

*Thes. 13.*

### *Thes. 13.*

*Successio* quatenus ex nonnullorum fabulis conflata est. Petrum Principem Apostolorum seu Caput Ecclesiae visibile, viginti quinque annis Romae praesidisse Romanosque Episcopos suis sui haeredes ibidem fecisse fabulantur & in Petri primatu, localique sua successione Ecclesiam suam ut duabus splendidissimis columnis totam inaitentem Supremo Antiquitatis & primatus titulo venerantur, ubi Cardinales catervatim ut magnos ejus Mercatores fallacissimum è splendore dignitatis suae sibi-um recussamque decetam exhibere, Lombardum & Gratianum ut celeres Aurigas oneratissima Decretorum Decretaliumque plaustra advehere, & Jesuitas Scrutarios Circumforaneosque è Longinquis onerosius apportantes & falsa Philosophiae stipite innitentes, sua à Petro emendicata falsaque successione selecta scruta adferre videmus; Quibus omnibus Ecclesiam Romanam annosam Vetulam caperatam facie & rugis decrepidae senectutis crudelem depingunt & fucant, eandemque in sublimi Petri folio collocatam Matronam pulcherrimam Reginam & Dominam à Petro ad finem mundi solam omnipotentem depradicant. Et bicipitis hujus Ecclesiae Caput Pontificem Romanum in petrina sede pulvinarique expositum unam cum Concilijs suis tantam prudentiam tantamque in dicendo veracitate suffundi, ut quævis pro somnio & crapula sua, vino scil. Antichristianæ perversitatis inebriatus abrogare & rescindere, Christi actionem immutare voluntatemque divinam sæpius sæpiusvè in sacris literis revelatam & apertissimo Spiritus S. testimonio comprobatam adulterare ausus sit. Quæ omnia ut ex una illa successione, aut pro ipsa successione defendere non erubescant.

### *Thes. 14.*

*Contra* nos merito nec mendaces testamur; non hanc superbam Meretricem Babylonicam heredi petam filiam à petro, qui nec ullum jus Episcopale ibi ordinarium, nec aliud præter alios Apostolos ullibi majus habuit, Romae progeneratam; sed ab ipso diabolo, omnium hereticorum, omniumque talium filiam

rum

rum patte ex ipso inferno, defunctis pijs & fidelibus Episcopis, Romanam immittam esse, quæ auxilio & astutia parentis sui, primò ex falsa fidei donatione Constantini Magni confortata, collum erigere, sedem Episcoporum invadere, & utunc idololatriæ suæ calicem omnibus exhibere ausa est.

*Thes. 15.*

Non quicquam juris ab ipso Petro pontificibus Romanis donatum est. Quia eundem Romanum Episcopum fuisse nunquam probabunt; & hinc suam successionem ab eo emendicare, vel ementiri haud convenit Romanensibus. Ubi talibus argumentis contra ipsos & unicâ veritate armati procedimus.

*Thes. 16.*

*Argumentum Primum.* quod quis non habet, alteri dare, aut communicare non potest. Eam potestatem, quam sibi hodierna Meretrix Babylonica adseribit, Petrus non habuit. Ergo eam illi in hæreditatem dare non potuit. Major est iadabita, & minor patet ex Membro antecedenti.

*Thes. 17.*

*Argumentum secundum.* Nemo propter successionem localem in alieno loco in jus aliquod succedere potest, quod ibi, qui dare debet, nec habuit, nec exercuit, Petrus jus papatus, vel quod minus est, Episcopatus Romæ nec habuit, nec exercuit. Ergo Episcopi Romæ propter localem successionem in jus primatus Petri succedere non possunt. Majorem ut veram transmimus, minorem probamus, PRIMÒ, ex episcopali actione Pauli Romæ peracta; quam omnes ejus sive ad Romanos Romam, sive ad alios Româ conscriptæ testantur epistolæ. SECUNDÒ, ex episcopali actione Petri Hierosolymis ejusque in agris peracta. Act. 8. Quæ dubio præcul benè, Longioribusque examinata hanc assertionem de completo Romæ 25. annorum Pontificatu aperitissimè infringet.

B

*Thes. 18.*

## *Thes. 18.*

Et hic pro argumento tertio subijcimus locum illum ad Gal. 2. v. 7. 8. & 9. ubi de utrorumque Apostolorum Episcopali actione loquitur ipse Paulus & hinc sequitur. *Cum vidissent mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, quemadmodum Petro circumcisionis; nam qui efficax fuit in Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est in me erga gentes.*

## *Thes. 19.*

Pro argumento quarto nobis est sanctus Augustinus, qui serm. 39. de Sanctis, qui est 5. de Petro & paulo, de hinc duobus Apostolis sic loquitur: *Hodie duos Christiani Nominis fundatores exultantis Ecclesia festa concelebrant: Hi enim duo electi sunt ad duorum populorum salutem; Petrus ad Judæorum, Paulus, ad Gentium; Petrus ut in Judæa veterem & desertum agrum repararet, atque eum sub umbra Legis infructuosum & calore veri Solis absconditum Fidei salubritate & Gratia fecundaret; Paulus verò ad Gentes mittitur & terram novam, quæ nullam ante dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem, quam aratro Dominice Crucis proscinderet, & in rudi campo Christi novellam infatigabilis operarius excitaret. Petrus itaque vineam ubi jam fuerat, reparat; Paulus plantat, ubi non erat. Petrus in Judæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem in radice sua excolit Paulus, verò in alieno fomite peregrinos ponit Gentium ramos. Petrus in Judæis terram male fecundam excolit, Paulus in Gentibus nondum cultam fecundat; à Petro in Judæis olea reparatur, à Paulo in Gentibus oleaster inseritur, Petrus in Judæis molit duritiem, Paulus in Gentibus illuminat ignorantiam. Petrus tenebras & vitia pellit ex oculis; Paulus reddit oculos à Nativitate cæcatis. Vario ac diverso genere innumeri populi ad unius Regis militiam congregantur, ac si duo potētissimi duces, Petrus antiquum de veteribus reducit, Paulus novum de Tyronibus Christi conducit exercitum. Discurrunt itaque per universum mundum duo splendidissimi Negotiatores, portantes coram Gentibus & Regibus & filiis Israel pretiosa fidei mercimonia, Circumferunt aromata justitiæ; Thuram divinæ venerationis, incensum compunctionis, Balsamum*



*mum Castitatis. Illi igitur sal prudentia spiritualis, de quibus dicitur*  
*[Vos estis sal terra] quibus utique Anima conciliantur, et inviolata*  
*ab aeterna peccati corruptione servantur. Erogant per omnem*  
*terram spirituales dispensatores pretia Salutis, Thesauros sanctita-*  
*tis, quarunt quas secum ad Caelos attrahant piissimi Animarum Pa-*  
*rentis. Disparis partium studiis, operum meritis, pares; aequales*  
*n. illos & similes per varia ac diversa virtutum genera dixerim: Nam*  
*etsi cum Petro Christus vixit in terris, Paulum compellere non dedi-*  
*gnatus è Caelis, adhuc etiam persequentem; sed in opere persequentis*  
*Apostoli Fidem praevidebat, & ideo quare perspexit zelum, honora-*  
*vit affectum, & quare sub proposito placendi Deo agebatur ignarus*  
*ad culpam, statim post admonitionem concurrit devotus ad grati-*  
*am. Quam ob rem etsi in corpore non est Locutus cum Christo,*  
*non minus est illud, quod Locutus est Christus in Paulo, dicente eo-*  
*dem [An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus:]*  
*ac si quem foris praedicationibus praeferebat, intus corde gestabat.*  
*Nescio igitur quid ei defuerit sanctitatis? & ulterius in horum u-*  
*trorumque Apostolorum laude, vita, dignitate, labore, & pot-*  
*estate pergens, Petrique sanctitatem tam in vita quam docendi*  
*munere ac jurisdictione extollens subjicit: Non minor inquam*  
*Paulus. Idque multis rationibus modo probavit & ulterius pro-*  
*bat, quas omnes tum in hoc serm. citato, tum etiam in alijs de*  
*Petro & Paulo videre licet, & nos in membro priori ex parte in*  
*diversis Thefis, utpote 6. 7. & sequentibus adduximus.*

### *Thef. 20.*

*Audivimus Augustinum. Ex illius, ut supremi & maximi*  
*Doctoris Ecclesiae suae verbis concludant ipsi Pontificij, Primò,*  
*ubi Petrus docuerit, Secundò, in quantum, utpote in nulla digni-*  
*rate aut prerogativa Paulo praevaluerit. Tertiò, & qualem tum*  
*ex ejus Petri primatu, qui nunquam Romae Episcopale jus exer-*  
*cuit, localem successionem fabulentur.*

### *Thef. 21.*

*Pro Argumento quinto observamus quoque illud, quando*  
*scilicet Clemens primus post Petrum ad Apostolum Hierosolymas*

B 3

scripse-

teus Titulo: *Clemens Jacobo, Fratri Domini, Episcopo Episcoporum regenti omnes Ecclesias.* ex quo Titulo etiam quid possint, concludant Romanenses.

*Thes. 22.*

*Pro Argumento Sexto* objicimus pontificijs partim *Gregorium Papam in quarto Libro Registr. in Epistolis ad Mauritium Cæsarem, Constantiam Augustam.* Ubi non hodiernum papale Dominium, aut tam superbus vicariatus, sed humilitas potius, & cum reliquis par dignitas episcopalis elucet. partim etiam *Concilia diversa, quæ papam vel non agnoverunt, vel etiam omninò condemnarunt,* et hæc ultima argumenta observent plerumque ij, qui cum *Becano & Bellarmino* papalem summam dignitatem à Titulis, quibus semper ornatus, tum etiam à privilegio in omnes & quidem semper exercite conflare summam astutiâ conantur, non ad jus divinum attendentes, sed & fidelissimorum *Anti-christi Satellitum* famulantia scripta audacissimè pro hac sua assertionem protrudentes, & aliorum orthodoxorum astutijs adulterantes. videatur *Becan. in manual. Controvers. libr. 1. c. 4. de Capite Ecclesiæ. Bellarminus Libr. 2. de Romanibus pontifice, cap. 12.*

*Thes. 23.*

Ex hiscè itaqve argumentis dicimus & rectè concludimus: *Petrum Judeorum, Paulum Gentium fuisse Doctorem, & manifestam esse errorem Pontificiorum, dum ab ipso Petro suam localem Successionem ementiantur, & si quam localem successionem ab ipso Petro per fas & nefas appetant, vadant ad orientem & antiquam occupent sedem, Antiochenam.*

*Thes. 24.*

*Instabunt cum limitatione: non spectari papatum hunc à Loco ubi primò decuerit, sed ubi cum in hodiernos pontifice resigna<sup>s</sup>*

resignavit, ut scilicet Romæ Lino primo Successori suo, & omnibus deinceps per ordinem succedentibus, quod morte sua ibidem contestatus est. et quidem dignitatem Episcopalem esse localem ex divina ordinatione, quam reliquit Jacobo; papatum verò esse personæ Dignitatem, quam contraxit Romam ibidemque reliquerit. *Respondetur* Hic multa præsupponi, quæ non præsupponenda, quæ sunt vel simpliciter falsa, ut primatus Petri, quæ dignitas personalis esse debet, vel improbalia, utpote Romæ Petrum Lino resignasse hanc dignitatem personalem, quod sanè incongruum videtur, & nescio quæ audaciâ effutire auri sint.

### *Thes. 25.*

*Instituimus hæc questionum primò & Respondeant Romanenses.* Vel resignavit ut quidam volunt vivente adhuc Paulo, quod satis indecorum fuisset, Paulo, qui vas Electionis, Apostolus, illuminatus præ reliquis, Doctor, talem dignitatem denegare, & Apostolorum Discipulo, minori, & indigniori offerre; Vel post mortem Pauli, quod nullus dicet, quia eodem die Martyrij Coronam consecvuti sunt, neque etiam in facto à Petro testamento hanc resignationem inveniant.

### *Thes. 26.*

*Instituimus questionem secundò & Respondeant quo jure eandem hæc præclata hæreditas ad eos devenerit.* Vel eo jure, quod est à functione? & quis tum non alia potiora loca diceret, utpote Hierosolymas, Antiochiam &c. ubi prius & verè Episcopatu suo functus est! vel quod est à voluntate Petri resignantis, & hanc resignationem exhibeant, & credemus illis in aliqua parte. Vel à morte Petri, & sic per mortem illis reliquit; & cur tum non potius Hierosolymis est Pontificatus, ubi primus verus Pontifex Christus mortuus est. Aut mors Petri, quam mors Christi efficacior fuit.

### *Thes. 27.*

*Thes. 27.*

At forsan dicunt: petrus ab eo Loco contraxit hanc digni-  
tatem Romanam usque, & ibidem moriens eam reliquit. Hoc fa-  
ctum est eum voluntate aut Dei, aut solius petri, si Dei exhibe-  
ant, quatenus Episcopum eundem semel apud Judæos constitu-  
tum ad Gal. 2. v. 7. revocavit Romam ad pontificatum. si solius  
petri, arrecticius est, quod facile concedimus, sed missis hiscè, (ut  
dicam) meris nugis, inanem Pontificiorum gloriam de successio-  
ne illudimus. Deus Ecclesiam nostram soli Christo summo  
Episcopo adherere faciat, & in ejus gloriantem primatu,  
à superbo Romano Antichristo Liberam  
illamque tueatur.



Coll. diss. A. 65, musc. 60